



Specvlvm Privilegiorum Regularivm In Commvni

Pedro <de los Angeles>

Coloniæ Agrippinæ, 1681


Punctum II. Qualiter per non usum, vel per contrarium usum, ver per
abusum deperdatur privilegium?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61715](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61715)

lem potestatem, quam vel à jure, vel à Principe recipiunt, si de facto renuntiant; valet renuntiatio, nulla alia expectata concedentis acceptatione: nec possunt amplius frui tali privilegio, nisi de novo eis concedatur. Et idem est de illis, qui dispositione juris amittunt privilegia, vel per temporis præscriptionem, vel per factam renuntiationem, inclusam in usu contrario (de quo latè puncto sequenti) qui non indigent Pontificis acceptatione: quia ab ipso jure conceditur facultas acceptandi talem renuntiationem, à tertio læso per privilegium, vel à tertio præscribente. Pelliz. q. 7. n. 108. Bordon. resol. 52. n. 117. Antonius à Spiritu sancto sect. 7. n. 129. Petrus ab Angelis sect. 1. n. 6. & sect. 2. num. 18. Suarez c. 35. n. 5. § Quod intelligendum est de illis, qui specialem habent à jure vel privilegio facultatem renuntiandi; non de his, qui personalibus privilegiis, aut facultatibus renuntiare possunt: quorum renuntiatio non valet, nisi accedente Superioris concedentis privilegium, acceptatione, ut diximus num. præced.

Quis renuntiationem acceptare possit?
 8. Est ergo facienda renuntiatio in manibus Superioris (qui concessit privilegium) illam acceptantis. Unde facta in manibus non habentis ejus ad hoc potestatem, nulla est, cap. demique 6. q. 3. cap. admonet. de renunt. Et cum sit odiosa, est strictè interpretanda; ita ut nisi ad expressa non extendatur: & sic non extenditur etiam ad casum similem, & multo minus ad diversum. Rota volum. 1. decis. 664. n. 8. & volum. 2. decis. 242. n. 4. & cum

alijs Bordon. resol. 52. n. 114. Veruna est quod renuntians intelligitur renuntiare omnibus, quæ ex illa renuntiatione sequuntur, & etiam omnibus coherentibus, cap. si quis sacerdotem, dist. 81. cap. si quis Episcopus, q. 1. cap. Nullus Primas q. 2. In dubio autem, an renuntiaverit, vel non? non præsumitur renuntiasse, cum renuntiare juri suo de facili, nullus præsumatur: nisi prorsus liberè, & absolute aliqua causa contrarium operetur, c. 5. de renunt. cum glossa ibi verb. volueris.



PUNCTUM II.

Qualiter per non usum, vel per contrarium usum, vel per abusum deperdatur privilegium?

9. **UT** clarius in hoc puncto procedamus, quod propter multipliciter opinionum non parum est implexum, illud in diversos §§. dividemus. In primo quæ certa sunt apud omnes proponemus. In secundo diversas assertiones, omittis aliorum placitis declarabimus. Et in tertio illationes, quæ ex dictis inferuntur deducemus.

§. I.

Certa apud Authores circa præsentem materiam proponuntur.

IN primis supponendum est ut certum, & ut principium generale
 Per non usum, hujus

Xx

vel per
contrarium
usum,
solent
amitti
privilegia.

hujus materiz, per non usum, vel per usum contrarium deperdi privilegia, si cetera requisita, de quibus dicemus, adfuerint. Quod constat ex clausula, quæ solet in concessione privilegiorum apponi: *quatenus sunt in usu, dummodo sint in usu*. In quo supponitur per non usum, vel per contrarium usum deperdi. Quod ut commune docent Lezana tom. 2. verb. privilegium, n. 15. & 16. Hieron. Garcia in politic. Regul. tom. 1. tract. 8. diff. 1. dub. 7. n. 12. Fr. Petrus ab Angelis in specul. privileg. diff. 3. sect. 2. n. 1. Palaus tom. 1. tract. 3. diff. 4. punct. 18. n. 1. Fr. Antonius à Spiritu sancto in direct. Regul. tract. 1. diff. 1. sect. 7. n. 139. Bordon. tom. 2. p. 2. resol. 52. n. 123. Azor. lib. 5. c. 8. q. 8. Salas de legibus, diff. 17. sect. 13. & n. 36. Suar. de legibus, lib. 2. c. 34. num. 2. Bonac. diff. 1. q. 3. punct. 2. §. 5. num. 3. Basil. Pont. lib. 8. cap. 18. num. 21. §. Sed ex duplici capite potest provenire, quod per non usum, vel per usum contrarium privilegium deperdatur. Vel quia talis usus includit virtuales, & tacitam renunciationem privilegij: vel quia sufficiens tempus transierit ad præscriptionem, contra illud requisitum; nec est aliud caput, unde hoc provenire possit, §. Semper tamen præsumitur privilegium usu receptum, & asserenti contrarium incumbit onus probandi: qui simul debet probare, quod illud habens fuerit in culpa, non usus privilegij, & quod per eum stetit, quominus privilegio uteretur: ut multis citatis probat Alcan. Tambur. de jure Abbat. tom. 1. diff. 16. q. 14. d. 190.

10. Secundo supponendum est; posse dari non usum merè negativum: quando nimirum, nulla oblata est occasio, vel opportunitas utendi privilegio, vel ea oblata, fuit impedimentum ad eo utendum: & per hunc non usum minimè deperdi, aut minui privilegium, etiamsi longissimum tempus præterierit, omnes asserunt; & constat ex *Lanus ex sociis, & sequentibus, ff. de servit. rustic. præd.* ubi dicitur servitutem debitam alicui, de aqua educenda in fundum illius, ex puteo, non amitti; si illa non fuit usus, quando fons exaruit. Unde qui haberet privilegium à Rege exigendi aliquod tributum, vel non recipiendi milites in sua domo, non amitteret illud, etiamsi longissimo tempore eo usus non esset idèd, quia nulla se obtulit occasio, & in similibus. Et idem est, si non utatur privilegio ob conventionem factam cum alio: quia tunc non potest ratione conventionis uti illo, vel potius co-uitur æquivalenter: quia per non usum illius aliquid in conventionem recipit. Bordon. Garcia, Palaus, Bonac. *locis citatis*, §. Potest enim dari non usus privativus privilegij, quando sciens, & potens, data opportuna occasione, eo non est usus privilegiatus: Et de hoc non usu deinceps loquemur. Potest etiam esse non usus, seu usus contrarius privilegij, quando privilegiatus facit actum contrarium privilegio sibi concessio; nimirum solvit decimas à quibus erat exemptus: & datur *abusus* privilegij; nimirum, non utendo illo loco, & tempore præscripto in ipso, vel utendo illo extra

limi-

Quor
modis
non uter
privilegij
contin-
gar.

Limites privilegij. § Et certum est nullo ex his modis amitti privilegium, nisi adsit scientia, & notitia privilegij; quia absque illa impositus est privilegiatus ad usum ejus: vel si adsit impedimentum aliquod, per quod eo uti non possit; vel deficiat libertas in privilegiato; quia invitus eo non est usus, vel usus est in contrarium: quia quod invitus fecit, nihil ei nocere potest, ut omnes tenent.

Per non usum deperditur multoties privilegium

11. Tertio supponendum est: quod quando privilegium ad diversas res extenditur, ex eo, quod respectu alicujus partis adsit non usus, vel usus contrarius, non deperditur quoad alias partes privilegium, etiamsi longissimum tempus transierit; sed solum quoad illas, quibus non est usus data occasione, & opportunitate: quia quoad alias, nec etiam tacita renuntiatio reperitur, nec præscriptio, cum eis usus fuerit, vel non se obtulerit occasio utendi, quod etiam est commune. Sicut etiam inter Doctores certissimum est non deperdi privilegium toti Religioni concessum per non usum, vel usum contrarium alicujus particularis Religiosi, vel Monasterij, vel etiam Provinciæ: quia contrarius usus, per quem amittitur privilegium debet esse ab habente potestatem renunciandi tacite, vel expresse, quæ in jure idem sunt. Potestas autem renunciandi privilegio reali, toti Religioni concessio, non residet in particularibus personis, Monasteriis, aut provinciis, sed in Capitulo Generali representante totam Religionem, vel in alio ejus vices gerente, ut diximus n. 5.

12. Quarto supponendum est, quod tempus ad præscriptionem requisitum, ut per illam privilegium deperdat, inchoat à primo non ulu libero, spontaneo, data opportunitate, & sine ullo impedimento utendi. Quod respectu omnium non est idem, ut diximus tom. 3. tract. 12. c. 2 à n. 104. Nam respectu particularium sufficient decem anni inter præsentem, & viginti inter absentes, ut ibidem diximus. Ad præscribendum in rebus immobilibus (inter quas privilegia computantur) contra Ecclesias, monasteria, hospitalia, & alias pias causas, res immobiles usu capi, seu præscribi non possunt, nisi transierint triginta anni inter præsentem, & quadraginta inter absentes, ex auth. quis actiones 6. de sacrosanct. Ecclis. recepta in cap. ultim. & penult. 16. q. 3. Contra Romanam Ecclesiam præscribi non potest, si ve in rebus mobilibus, si ve immobilibus, nisi post longissimum tempus, quod est centum annorum. Dicta auth. & cap. cum à nobis 14. de præscriptionibus. Et ex Jure Communi, ut Regulares amittant sua privilegia per præscriptionem, quadraginta anni debent transire, ex cap. volumus 2. 16. q. 4. cap. accedentibus, de privilegiis, & tenent Salas de legibus, disp. 17. sect. 13. num. 64. Suar. lib. 8. c. 24. n. 20. Palas tom. 1. tract. 3. disp. 4. punct. 18. num. 6. Tambur. de jure Abbat. tom. 1. disp. 16. q. 14. n. 5. & est communis. Debent autem observari omnes conditiones ad legitimam præscriptionem requisitæ, de quibus egimus loco citato. Hoc est quod de Jure Communi habemus. Quantum

Quot tempus ex jure requiratur ad præscribendum contra privilegium.

autem temporis debeat transire ad præferendum contra privilegia Regularium, ex specialibus privilegiis concessis, §. 3. hujus puncti dicemus.

§. II.

Triples conclusio pro resolutione puncti proponitur.

Privilegia merè gratiosa, quæ in alterius gravamen, aut detrimentum non redundant, nunquam deperdi, nec per non usum contrarium, etiam si longissimum tempus pertranseat. Illa appellamus privilegia merè gratiosa, quæ privilegiato afferunt commodum, & aliis non inferunt incommodum, vel aliquod gravamen, aut servitutum inducunt: ut non jejunandi, comedendi carnes, lacticia, audiendi sacrum tempore interdicti, celebrandi tali tempore, & similia. Inter quæ computantur privilegia confitendi, absolvendi à reservatis, vel censuris, concionandi, &c. quia hæc minimè in Episcopi, aut Parochi gravamen, sed potius levamen cedunt; quia non diminuunt eorum potestatem, sed eos adjuvant in suo ministerio. Ratio assertionis est: quia hæc privilegia ob non usum, vel contrarium usum non deperduntur; per legem statuentem amitti debere: quia nulla datur; siquidem omnes leges, & textus, qui poterant adduci in oppositum, non de istis privi-

legiis gratiosis loquuntur; sed de illis quæ in aliorum gravamen cedunt, de quibus dicemus conclusione sequenti. Nec perduntur per tacitam renuntiationem in eis inventam; siquidem ut diximus tract. 11. de legibus, cap. 6. num. 102. per non usum, aut usum contrarium, non præsumitur quis renuntiare privilegiis merè gratiosis; siquidem ista non obligant ad usum sui: & stat privilegiatum velle conservare privilegium merè gratiosum, & ob aliquos fines nolle uti illo, quin ob hoc illi renuntiare judicetur. Nec etiam amitti possunt hæc privilegia per præscriptionem, quamvis longissimum pertranseat tempus: quia in privilegiis quæ solas actiones privilegiati concernunt, nulla dari potest præscriptio: nam ad hanc requiritur, quod præscribens habeat in illa re continuatam possessionem, ratione cujus dominium rei, quod erat in uno transferatur ad alium. In his autem privilegiis nullam possessionem potest alius habere, nullumque dominium est transferibile in ipsum, ut ex se constat: ergo nullo modo dicta privilegia gratiosa, deperduntur per non usum, aut usum contrarium, atque ita docent Lezana tom. 2. verb. privileg. num. 15. & 16. Salas disp. 4. punct. 18. n. 4. Hieronym. Garcia in politic. Regul. tom. 1. tract. 8. diff. 1. dub. 7. num. 14. Suarez lib. 8. de leg. cap. 34. num. 17. Bonac. disput. 1. q. 3. punct. 8. §. 5. num. 5. Tambur. tom. 1. disp. 16. q. 14. num. 2. Basil. cap. 18. §. 3. num. 22. Palaus tract. 3. disp. 4. punct. 18. num. 3 & punct. 19. n. 1. Petrus ab Angelis dispus.

disput. 3. sect. 2. num. 8. Layman. lib. 1. tract. 4. c. 23. n. 20.

Privilegia cendentia in aliorum præjudicium per præscriptionem amitti valent.

14. Assertendum est secundo : quod privilegia illa, quæ in aliorum gravamen cedunt, vel quia aliquam servitutem alterius annexam habent, vel quia sunt de exercenda aliqua actione aliis onerosa, ut de exigendo aliquo tributo, de exemptione à solutione decimarum, Gabellarum, aut aliarum distributionum, &c. si cætera adsint, de quibus diximus §. *precedenti*, specialiter, illorum notitia, opportunitas, & occasio illis utendi, & nullum impedimentum, nulla revocatio sit in contrarium; per non usum, vel per usum contrarium, & per præscriptionem deperduntur, si tempus ad præscriptionem præterierit. Hæc assertio est communis inter Doctores, & probatur. Tum: quia per contrarium usum, vel per non usum data opportunitate, in jure præsumitur privilegiatum renunciare privilegio, *cap. cum accessissent, de constitutionibus, cap. accidentibus, de privilegiis*. Cæterum cum hæc jura solum fundentur in præsumptione animi renunciandi, si liberè talis animus non detur, ob istum titulum factæ renuntiationis, numquam privilegium deperditur, ut infra dicemus. Quare melius probatur assertio: quia gravatus per privilegium, potest præscribere contra privilegiatum possidendo suam libertatem ab illo onere, toto tempore, quo privilegiatus non utitur liberè suo privilegio data opportunitate, & occasione: ergo si tempus ad præscriptionem transierit, privilegiatus amittit dominium, alteri onus imponendi, & gravatus eximitur ab

illo onere, quod est per præscriptionem amitti privilegium: nam hæc vim habet auferendi ab uno dominium, & illud in alium transferendi, ut diximus *tom. 3. tract. 12. c. 2. n. 1.* ergo dicta privilegia per præscriptionem contra illa deperduntur, per non usum privativum, vel usum contrarium, toto tempore ad præscriptionem requisito. Sic Layman. *num. 21. Lezana n. 16. Garcia num. 15. Palau punct. 18. num. 4. & punct. 19. n. 7. N. Fr. Ferrus ab Angelis num. 14. Suarez n. 16. Bonacin. num. 3. Tambur. num. & alij.*

15. Sed assertionem aliqui merito limitant, dicentes quod quando privilegia conceduntur privilegiato, ut utatur illis cum clausula, *prout libuerit, quando voluerit*, etiam si illis per multum tempus non utatur, illa minimè amittet. Non quidem renuntiatione facta, quæ hic locum non habet; sed quia ejus libero arbitrio usus illorum committitur, & sic per hoc quod illis non utatur, vel contra riè utatur, non ob id censetur velle renunciare privilegio, cum usus illius suo libero arbitrio relinquatur. Non præscriptione: aliàs illa clausula inutilis esset in privilegio, nihilque operaretur: quia in omni privilegio taciè includitur, ut privilegiatus eo utatur prout voluerit, nec enim obligatur ad eo utendum: ergo quando expressè ponitur, ut aliquid opere- tur; intelligenda est, ut etiam tempore præscriptionis, eo uti, vel non uti possit, sine præjudicio: quod sanè sibi inferretur, si tēpus præscriptionis computaretur contra ipsum; itaut trans-

acto illo, amitteret privilegium. Felin. in cap. cum accessissent, de praescriptionibus, num. 26. & 27. Molina de Hispan. primogen. lib. 2. c. 7. in fine, §. sed verius videtur. Azevedo leg. 5. tit. 7. lib. 2. nova compil. in fine. Azor. lib. 5. c. 4. q. 8. Palaus punct. 18. n. 5. Garcia dub. 5. n. 15.

Quomodo per abusum privilegium perdat

16. Afferendum est tertio, eum qui abutitur privilegio, dignum esse illo spoliari, illudque amittere: Nam privilegium meretur amittere, qui concessa sibi abutitur facultate, cap. ubi, distinct. 34. cap. privilegium 1. q. 3. cap. licet. de Regularibus. Tunc autem dicitur aliquem abuti privilegio, quando vel illud extendit ultra id, quod sibi concessum est, vel ex illius usu sumit occasionem liberius delinquendi; vel quando suis pravus moribus, fini motivo privilegij contradicit, & alijs similibus casibus. § Quod vero ipso facto nulla expectata iudicis sententia, amittatur privilegium per abusum; Aliqui absolute negant; nisi praecedente superioris sententia, saltem criminis declaratoria. Tum quia in dictis iuribus solum asseritur mereri privilegio privari, qui eo abutitur; non quod ipso facto privetur. Tum etiam quia licet de facto illis privari diceretur, cum sit lex poenalis, qua privatio imponitur in poenam abusus; non obligat nisi post iudicis sententiam: ut diximus tom. 3. tract. 11. de legibus c. 2. n. 59. atque ita tenent in praesenti Suar. lib. 8. de legibus, c. 36. n. 8. Palaus tom. 3. tract. 3. disp. 4. punct. 20. n. 3. Fr. Petrus ab Angelis disp. 3. sect. 2. n. 20. Bruno Cassaing. de privileg. tract. 1. cap. 5. propos. 3. Fr. Antonius à

Spiritu sancto tract. 1. disp. 1. sect. 7. n. 147. Pelliz. tract. 3. c. 1. q. 10.

17. Sed distinguendum est: vel enim in iure abutens privilegio, in poenam privatur illo; & tunc vera est praecedens sententia: & sic requiritur ad minus sententia declaratoria criminis, ad talem privationem, ut in cap. consingit 2. de sentent. excommuni. Clericus incedens sine habitu, & tonsura amittit privilegium Clericale; sed ter admonitus, & per sententiam condemnatus. Idem habetur in cap. ex litteris, de vita, & honestate Cleric. Ubi Clericus negotiator privatur privilegio exemptionis à tributis; sed ter admonitus, & negotiator declaratus, in c. ult. de immunitat. Ecclesiar. Quod post criminis declarationem intelligitur. § Vel abutens tali privilegio, eo privatur, quia fuit illi concessum sub aliqua conditione, quae non apponitur propter abusum: & tunc ipso facto privatur privilegio, nulla expectata sententia: ut in cap. 2. de postulat. Praetorum, cap. cum in cunctis de electione. Qui indignum eligit ea vice iure eligendi ipso facto privatur; quia sub ea conditione conceditur facultas eligendi, ut dignum eligant: & non aliter. Similiter Clerico conjugato conceditur gaudere privilegio Clericali, si habitum deferat Clericalem, & inserviat alicui Ecclesiae; quo privatur eo ipso, quod laice vivat. In Trident. session. 23. cap. 6. de reformat. cap. ex parte, de Cleric. conjugat. § Vel denique ob abusum cessat totalis finis privilegij: & tunc ipso facto cessat privilegium; vel in totum, si omnino cesset finis; vel quoad aliquam

aliquam partem, si quoad illam finis cessat: ut si beneficiarius concedatur privilegium lucrandi fructus suæ præbendæ, absque residentia, ob studium; si non studeat, sed terat tempus vanis rebus occupatus, amittitur privilegium; non absolutè; sed quoad lucrandos fructus illius temporis, quo studiis non vacat: eo quod tunc privilegiatus non est, & beneficiarius absque privilegio, non residens, pro eo tempore non facit fructus suos. *Suarez lib. 8. cap. 36. num. 7. Palau punct. 20. num. 4. Bonacin disput. 1. q. 3. punct. ultim. §. 7. in fine. Salas disput. 17. sect. 13. num. 68.*

§. III.

Ex dictis corollaria quedam inferuntur.

Obrenuntiationem tacitam, sine animo renuntiandi non amittitur privilegium.

18. **L**X dictis inferitur primo privilegia ob non usum privativum, vel ob usum contrarium, non amitti (saltem in foro conscientie) propter renuntiationem tacitam imbibitam illis; nisi simul cum non usu animus adsit renuntiandi, & à potente renuntiare privilegio: & idem est pro foro externo, si talem animum non fuisse constaret. Et sic solum ob præscriptionem possunt amitti, transacto tempore ad illam. Quia ut diximus *tract. 11. de leg. cap. 6. num. 102.* stat optime aliquem velle conservare privilegium, & ob alios fines, quam ob renuntiationem velle illo non uti: quia per illud non cogitur ad utendum, & potest velle conservare facultatem utendi, & non uti

ob aliquem finem. Et sic solum potestatem talem amittit, quod est privilegium, qui animum habet renuntiandi, & legitime renuntiare potest, ut colligitur ex *l. voluntaria, cap. de excusat. tutor. l. 2. de his, qui sponte munera subeunt, leg. 2. de privilegiis veteranis*: ubi dicitur non labefactari privilegium impunitatis, ab oneribus Civitatis, esto quis aliqua munera sponte subeat; eo quod animus renuntiandi non inducitur, ex eo, quod quis contra privilegium operetur. *Pellizzar. tract. 8. cap. 1. quest. 8. num. 114. Bruno tract. 1. cap. 5. propos. 1. Lezana tom. 2. verb. priv. num. 16. Basil. lib. 8. cap. 8. §. 3. num. 27. Salas disp. 17. sect. 13. num. 66. Palau punct. 19. num. 27. Petrus ab Angelis disp. 3. sect. 2. num. 25. Suarez lib. 8. cap. 35. num. 10. & 25. Bonacina punct. 8. §. 6. num. 12. Layman. lib. 1. tract. 4. cap. 23. num. 230*
 § Optimum autem erit consilium, quod si privilegiatus aliquid, quod sit contrarium privilegio operetur, absque animo illi renuntiandi, illud faciat præmissa protestatione non præjudicandi privilegio: nam talis protestatio excludit voluntatem renuntiandi, etiam pro foro externo, & ostendit talem actum non esse formaliter contrarium privilegio; sed usum illius. *Salas sect. 13. num. 63. Tamburin. q. 14. n. 8. Lezana n. 16. Suarez c. 35. n. 3.*

19. Ex quo inferitur secundo: Privilegio uti potest per sententiam condemnatum ad amissionem privilegiorum, quæ tractum successivum actuum secum afferunt, eo quod fecerit actum privilegio contrarium, **& hoc**

natus ad
amissionem
illius, qui
animum
renuntiandi
non
habet.

& hoc absque animo renuntiandi, cum possit; non tenetur in conscientia illi stare sententiæ: & sic poterit secluso scandalo uti, sicut antea, suo privilegio: quia sententiæ iudicis in illo casu nititur falsæ præsumptioni de animo renuntiandi: ut diximus *tom. 3. tract. 11. de legib.* quia quando sententiæ iudicis falsæ nititur præsumptioni, non tenemur illi stare, & in præsentem docent *Lezana num. 16. Bruno propos. 1. Palaus punct. 19. n. 9. Bonacin. disputat. 1. quest. 3. punct. 8. §. 6. num. 16. Suarez cap. 3. §. num. 25.* Si tamen sententiæ daretur de amissione privilegiorum ob legitimam præscriptionem, quæ fit transacto tempore necessario ad illam; tali sententiæ teneretur stare privilegiarius. § Sed nota quod adhuc non amittitur privilegium per contrarium usum, animo renuntiandi factum, vel per præscriptionem; quando contrarius usus sit v. g. per particulare Monasterium, vel etiam per totam Provinciam, si privilegium sit ex illis, quæ pertinent ad totum Ordinem: quia usus contrarius, etiam per præscriptionem, solum tollit privilegium, quando usus sit ab eo cuius est privilegium. Non est autem proprium huius, vel illius Domûs, huius vel illius Provinciæ, privilegium, quod ad totum Ordinem pertinet: & ideo illi renuntiare non possunt, nec per præscriptionem illud destruire; ut diximus *num. 11.*

Per hoc 20. Infertur tertio: quod quando privilegium habet diversos actus circa alios quos

diur quoad omnes quousque gravatus privilegium contra privilegiatum præscribat: cessat tamen quoad illos, quibus contradicit privilegio, nec tale privilegium pro illis actibus amplius alligare potest. Ut si habeas privilegium non solvendi decimas, & solvas, jam quoad illam solutionem amittis privilegium: quia quoad illam non vis gaudere illo: quia in eo, in quo contradicis privilegio, illi renuntias, illoque gaudere non vis; sed non ob id amittis privilegium in posterum illas non solvendi. Habes privilegium non solvendi vectigalia, permittis scribi in libro, ubi ceteri non privilegiati scribuntur; pro illa vice teneris solvere; sed manes cum privilegio ad non solvendum in posterum, nisi tempus ad præscriptionem transire permittas. Habes privilegium ne eligaris ad officia onerosa Reipublicæ, permittis modo eligi; pro illa vice, qua electioni consentisti, amisti privilegium; sed eo gaudere poteris, ne ad alia munera eligaris. Habes Monasterium privilegium decimas non solvendi, semel, & iterum solvit; non ob id absolute amittit privilegium, nisi tempore pro præscriptione transacto; sed solum quoad illas decimas solutas, quas repetere non potest: quia non præsumitur, per unam, vel alteram solutionem, integre voluisse renuntiare privilegio; sed vel ad evitandas lites vel alia ex causa voluisse illis vicibus solvere. Joannes à Cruce *cap. 3. dub. 3. Lezana tom. 4. verb. privileg. Regul. num. 16. Palaus punct. 18. num. 8. Hieronym. Garcia tom. 1. tract. 8. diff. 1. dub. 5. num. 17.*

Tamburino.

actus
privile-
gium
amittit-
tur non
deperdit-
tur quoad
ad omnes.

Tamburin. tom. 1. disp. 16. quest. 14. num. 19. Rodriguez tom. 3. q. 51. art. 5. n. 9. Diana 3. p. tract. 2. resol. 111.

Quo-
modo
intelliga-
tur clau-
sula in
confir-
mationi-
bus pri-
vilegio-
rum ap-
poni so-
lita.

21. Infertur quarto : quomodo intelligenda sit illa clausula, quæ solet in confirmationibus aliquorum privilegiorum apponi : *quatenus sunt in usu, vel prout sunt in usu*. Intelligitur primo si contra illa non sit per scriptum, per hoc, quod totum tempus ad præscriptionem requisitum, transierit : id est si deperdita non sunt per usum contrarium, tempore requisito ad præscribendum : & consequenter intelligitur de privilegiis aliis onerosis ; non de mere gratiosis ; contra quæ nulla potest dari præscriptio : ut diximus num. 13. § Secundo : quod si dicta privilegia aliis gratiosa, per præscriptionem deperdita sint quoad unam partem, non quoad aliam ; de novo confirmantur quoad illam partem, qua non perierunt : quia ut diximus num. 11. § si quis contra privilegium operetur quoad unam partem illius ; illud non deperdit quoad alias, contra quas non est usus. § Tertio : & præcipue operatur illa clausula ; quod si incæpta fuerit præscriptio contra tale privilegium, eo quod aliquod tempus jam transierit ; sed non omne, quod requiritur ad præscriptionem ; incipiat de novo computari tempus præscriptionis, ab instanti confirmationis ; ac si tunc privilegium de novo concessum fuisset : nihil curando de tempore præterito, ac si nullum transactum fuisset. Sic Hieronym. Garcia loco citat. num. 17. Tamburin. num. 8. Corduba in compend. privileg. titul. Absolutio quoad seculares 1. versu Quoad,

§. 19. Joannes à Cruce de statu Relig. lib. 2. cap. 3. dub. 2. conclus. ultim. Bruno tract. 1. c. 5. propos. 1. vers. petes. Portel. verbo privilegij non usu. cum aliis ab eo citatis.

22. Infertur denique : privilegia Regularium difficulter, ac raro deperdi posse per præscriptionem. Regularium potest esse per præscriptionem de novo confirmata, quæ alias deperdita fuerant per non usum, vel usum contrarium, absque clausula ; *quatenus sunt in usu*. Et ideo cum illa confirmata sint (ut diximus num. præcedenti) ab instanti confirmationis, debet de novo inchoare præscriptio, absque computatione temporis præcedentis, & aboletur quælibet contraria præscriptio adversus illa. Et cum tempus longissimum requiratur ad præscribendum contra illa, ut dicemus num. sequenti, vix unquam, his omnibus comparatis, poterit contra ea legitimè præscribi. Tum etiam : quia ut privilegium alicui Ordini concessum, non censetur amissum ; sufficit quod illud sit in usu apud aliquam Domum, vel Provinciam illius Ordinis : quia privilegium Ordinis existens, ad omnes Domus illius Ordinis extenditur : imo etiam si in illo Ordine non sit in usu ; sufficit, quod in aliis Ordinibus sit in usu ; ut hic Ordo, in quo non est in usu, communicans cum aliis in privilegijs, illo fruatur ; ac si in tali Ordine extinctum non fuisset ; ut diximus cap. præcedent. num. 114. Quibus omnibus bene perpensis, vix aut raro possent privilegia Regularium, per præscriptionem amitti, uti docent Bordon.

Raro pri-
vilegia
Regularium pos-
sunt per
præscrip-
tionem
amitti.

tom. 2. part. 2. res. 52. n. 122. Confessus tit. 1. cap. 3. §. nec etiam, & tit. 12. c. 1. de prescrip. pagin. 376. Portel, in dubiis Regul. verb. privileg. num. 55. & 63. Pellizzar. tract. tract. 8. cap. 1. quest. 8. num. 113. Bruno tractat. 1. cap. 5. propos. 1.

Tempus assignatur ad prescribendum contra privilegia regularium requisitum. 23. Sed videamus modo, quod tempus sit requisitum ad prescribendum contra privilegia Regularium; De jure communi jam diximus num. 12. modo de particularibus privilegiis loquemur. Et in primis Eugenius IV. Bulla 7. hujus Pontificis, apud Bullar. Rodrig. concessit Patribus Benedictinis Vallisoletanis, ut non nisi per sexaginta annos possit dari prescriptio contra illos, ut tenet Garcia in Politic. Regul. tom. 1. tract. 8. diff. 1. dub. 6. num. 16. Bordon. res. 52. num. 122. à Cruce lib. 2. cap. 3. dub. 2. conclus. 2. Idem concessit Camandulensibus Leo X. teste Confessus tit. 12. cap. 1. Peyrin. in introduct. compend. §. 4. Atque idem concessit dictus Eugenius IV. in alia bulla Ex Apostolica. Monasterio S. Pauli extra muros bulla 17. ejus in Bullar. Rodriguez teste Lezana tom. 2. verb. privileg. n. 15. Et hoc privilegium, quod non nisi per sexaginta annos possit prescribi, extensum est à Julio II. ad Congregationem Vallis-umbrosæ anno 1507. idibus Julij, ut testatur Tamburin. tom. 1. de jure Abbat. diff. 16. quest. 14. num. 5. Quibus gaudent ceteræ Religiones, cum istis in privilegiis communicantes.


Magis extenditur tempus. 24. Plus concessit Paulus tertius constituit, quæ incipit: *Benignitas*, & est 17. in Bullario Romano teste Bor-

don. num. 122. Pellizzar. sect. 5. num. 113. à Cruce loco citat. ubi concedit eidem Benedictinis, ut non nisi centum annorum spatio, contra privilegia eorum possit prescribi. Idem concessit Pius IV. anno 1607. pridie idus Junij Congregationi Montis Oliveti, ut habetur in lib. privileg. Ordinis S. Benedicti impresso Romæ anno 1589. fol. 802. teste Fr. Petro ab Angelis in speculo privileg. disp. 3. sect. 2. num. 1. Quod etiam concessum antea fuisse à Gregorio IX. & Honorio III. Congregat. Canonic. Regul. S. Salvatoris Lateranensis, habetur in lib. privileg. ejusdem Ordinis pagin. 128. & 145. ut refert Bruno tr. 1. cap. 5. propos. 1. vers. secunda pars. Atque idem concessisse Eugenium IV. sub data Florentiæ anno 1442. septimo Kalendaris Julij. Conventui S. Pauli extra muros Congregationis Sanctæ Justiniæ, refertur à Rodriguez in nova collect. Bullar. Apost. pro Regul. Bulla 17. ejusdem Pontificis, ubi sic dicitur: *Ut sicut contra Romanam Ecclesiam, non nisi centenaria currit prescriptio secundum constitutiones Canonicas, & legitimas sanctiones; ita quoque prædicto Monasterio, minoris temporis prescriptio non obstat.* Quod privilegium, jam est ad totam Congregationem extensum, & sic etiam alijs Ordinibus communicatum, ut inquit idem Rodriguez tom. 3. qq. Regul. quest. 35. art. 2. Quare, requiri centum annorum spatium ad prescriptionem contra privilegia Regularium, præter citatos hoc numero, & numero sequenti, citandos, tenent Portel. verb. prescribere, & verb. privil. Diana 3. part. tract. 2. de

plus prescriptio-
nis.

Subiis Regul. resol. 88. à Cruce de statu
Relig. lib. 2. cap. 3. dub. 2. conclus. 2.

Expen- ditur quoad hoc amplissima Pontificum concessio, 25. Aliam amplissimam concessionem refert Rodriguez tom. 3. quæst. 35. citata, art. 12. quam etiam referunt, & admittunt Poriel. verb. privil. n. 4. Diana loco citato, à Cruce concl. 2. Bruno proposit. 1. Petrus ab Angelis sect. 2. num. 7. per quam concedit Benedictinis Eugenius IV. (cujus Bullam adducit Rodriguez in suo Bullar. & est nona in ordine) ut nullo modo possit contra eos præscribi: tibi inter alia, hæc dicit: *Quod si contingerit per aliquem aut plures actus contra huiusmodi, aut quacumque alia privilegia, indulta, gratias, immunitates præfata Congregationi concessas, aut ipsorum aliquod, à quocumque, cujuscumque conditionis, gradus, seu status existat, ex negligentia, vel ignorantia præsentium, vel futurorum, quibus hæc conceduntur, aut alia quavis causa, propter quam fuerit aliter attentatum, vel pro tempore observatum, ignoranter, vel scienter procedi nullum tamen præjudicium dictis privilegiis generetur; sed suo vigore, ac robore permaneat: hæc ibi: quod est magnum privilegium, quod adhuc durat, & est Bullatum, & in eo cæteræ Religiones participant. Quod etiam Clementem VIII. Bulla incipiente: *Romanum Pontificem innovasse, & extendisse pro Carmelitæ Discalceatis, dum præminentiam, & prærogativas illorum, nullo modo decursu temporis, vel alio præscriptionis modo amitti decernit, testatur Bruno Cassiæ. Franciscanus de privilegiis tractatu 1. cap. 5. proposit. 1. vers. secunda pars, in fine.**



PUNCTUM III.

Qualiter per revocationem privilegia cessare possint, & quæ ea revocare valeat.

26. **P**Rivilegium (ut diximus cap. Præcedenti, num. 22. vel est mere gratuitum, id est ex mera Principis voluntate dependens; qui licet motus sit ex meritis privilegiati ad illud dandum; non tamen consideratur ut remuneratorium, & compensatorium illorum; sed tanquam aliquid ex benignitate, & liberalitate Principis concessum: & ideo in ejus expeditione nulla meritorum mentio fit: & hoc vel potest consistere in aliqua facultate ad agendum, vel non agendum contra legem, vel præter legem, vel in aliquo, per quod jus privilegiato circa aliquam rem acquiratur: & dicitur *jus quasi*; ut si privilegium, villam, aut castellum præbeat, cujus possessionem privilegiatus acquisivit, vel jus ad exigenda tributa, vel non solvendas decimas, &c. Vel est onerosum, aut lucrativum, quod datur ob aliquod onus exhibitum à privilegiato, & sic ibi intervenit quidam contractus onerosus: *do, ut des, facio, ut facias.* Et ideo privilegiatus ponit onus, & ob illud Princeps privilegium impendit, ut in Bulla Cruciatæ accidit, in qua ob eleemosynam exhibitam à privilegiato, conceditur illud privilegium à Pontifice. Vel est remunerativum; quod

Privilegium gratiosum onerosum, & remunerativum explicatur.

Yy 2 datur